Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

verum etiam secularium utilitatibus debet esse sollicitum. propterea fraternitatem vestram scire volumus hunc presentem presbiterum ad sedem apostolicam venisse. nobisque violentiam et excommunicationem suam per ordinem retulisse. quod etiam sine iusto legis tramite illi sua fuisset ablata ecclesia. similiter indicavit. quod alius dato munere sacerdos zelo ductus invidie usurpare presumpsit. Inde parentes eius magno dolore compulsi. presbiterum illum qui suam tenebat ecclesiam mox comprehenderunt et eius oculos eruerunt. tamen ipse sepedictus sacerdos dicit. quod absque sua voluntate. sive consilio hoc sit patratum. Quod si ita est. ut ipse nobis suo ore testatus est. vobis magnopere providendum est. ut si ipse canonice excommunicatus non est. canonica super eum fiat remissio. Item ex concilio toletano IIII. Perfidia parentum filiis obesse non debet. C.

Iudei baptizati. si postea prevaricatores in Christum qualibet pena dampnati extiterint. a rebus eorum fideles filios excludi non oportebit. quia scriptum est. filius non portabit iniquitatem patris. Item Augustinus ad Bonifacium.

Non imputantur peccata parentum his qui ab eis personaliter divisi esse probantur. Iam itaque cum homo in se ipso ab eo qui genuit alter est effectus. peccato alterius sine sua consensione non tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum. quia unum erat cum illo et in illo a quo traxit. quando quod traxit admissum est. Non autem trahit alter ab altero. quando sua unoquoque propria vita vivente iam est unde dicatur. anima que peccaverit. ipsa morietur. Ut autem possit regenerari per officium voluntatis aliene. cum offertur consecrandus. facit hoc unus spiritus ex quo regeneratur oblatus. Hinc etiam Gregorius in libro XXVI. moralium. Cui quis imitatur impietas alterius nocet.

Homini qui similis tui est nocebit impietas tua. et filium hominis adiuvabit iusticia tua. Humana impietas ei nocet. quem pervertendo inquinat. Et rursus eum adiuvat nostra iusticia. quem a pravis actionibus inmutat. Nocere enim vel adiuvare nesciunt ea que vel a bono corrumpere. vel a malo permutare non possunt. Item Digestorum titulo de penis. Crimen vel pena paterna nullam maculam filio infligere potest. Namque unusquisque ex suo admisso sorti subicitur. nec alieni criminis successor constituitur. Idque etiam divi fratres Gerapolitanis rescripserunt. Item Origenes. Comminatur dominus ad Moysen. Ego sum deus zelotes qui visito peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem. licet non inequalitate iudicii. sed magnitudine clementie. Augustinus hoc dictum asserit ita dicens. In tertiam et quartam generationem. peccata patrum se dominus comminatur in lege filiis redditurum. non

S. p. v. d. l. vi. Unicuique.

S. c. xxxii. q. iiii. Sic.